

Heinrich Rahn Paul Barver

Disputatio Inauguralis De Iuramentis

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766617440>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.
Z 16.7

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

42.18



44a
DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
JURAMENTIS,

Quam
DIVINA FAVENTE GRATIA
Consensu & Autoritate Amplissimæ
Facultatis Juridicæ in Illustri ad Varnum
Academia

PRÆSIDE

Viro Amplissimo, Consultissimo & Excellentiss.
DN. HENRICO RASNERI
I. U. D. Professore & Vice-Decano
Spectabili, Mæcenate & Præceptore
suo longe honoratissimo,

Pro summis in utroq; Jure Privilegiis & Honoribus
Doctoralibus consequendis

Publicæ Eruditorum disquisitioni subjecit
PAULUS BARBER / Slesvicensis.

In Auditorio Majori die VI. Martij,
horis consuetis matutinis & Pomeridianis.

✠(o)✠



ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Academia Typographi,
Anno M. DC. LI.

Generosissimo & Fortissimo Domino
DN. PAULO RANTZAU,
Domino Nobilissimo & Hæreditario, in
Boothkampff/ Kõbhõvet / Doberstorp/ Winenbeck &c.
Illust. Ducis Holsatiæ Consiliario Provinciali fi-
delissimo, Terrarum itidem Chilonicensium &
Borscholmensium Præfecto vigilantissimo,


Magnifico & Nobilissimo Domino
DN. JOHANNI ADOLPHO Stellmann/
J. U. D. longè celeberrimo; Sacri Romani
Imperii Exempto; Comiti Palatino; Illust. Ducis
Holf. Canzellarario fidelissimo, Consiliario Intimo,
Ecclesiæ Cathedralis, quæ est Hamburgi, Propo-
sito plurimum-Reverendo.


Excellentissimo & Nobilissimo Domino
DN. BALTHASARO Glexin/ J.U.D.
longè-celeberrimo, Illust. Ducis Holsatiæ
Consiliario Aulico fidelissimo, Ecclesiæ Cathe-
dralis, quæ est apud Lubecenses, Canonico pluri-
mum-Reverendo,

Excellentissimo & Nobilissimo Domino
DN. EBERHARDO Wydenkopff/
J. U. D. longè celeberrimo. Illust. Ducis Hol-
satiæ Consiliario Aulico fidelissimo; interiorisq;
Consilij Secretario.

*Omnibus Spectatissimis, Nobilissimis, Amplissi-
mis, Consultissimis, & supra seculi sortem
pariter Prudentissimis.*

*Patronis & Dominis meis omni Venerationis
cultu adorandis
S. & Obseq.*





Udet Schema hoc Juridicum, Augu-
 stissimi Patroni, Domini longè suspi-
 ciendi, Augustissimum sibi vestrum in fronte
 sumere nomen, simulq; in tam grato & vene-
 rabili omnibus nomine, certum sibi contra ma-
 ligni Livoris dentem querere patrocini-
 um; Tanta equidem au-
 dacia, causam si quaritis? Non una ea est, multa sunt, qua ad id
 me impulerunt, Prima est, Excellens & major, quam qua in hu-
 manam plerumq; cadit sortem, vobis innata virtus; Est, ut aper-
 tius dicam, recordata illa & plane prisca sapientia; Est circum-
 specta sed simul sancta, in consulendo, vobis acquisita Prudentia;
 Est Svada vestra in persuadendo purior, qua Regi nostro Se-
 renissimo gratos, Duci nostro Illustrissimo venerabiles,
 omnibus gratos Vos fecit, ac inter avi nostri primos esse voluit.
 Hanc ego ut adorem, me vobis hodie sisto; Divi quidem suis Achivos
 non privo, Et sunt alibi Viri quoq; non vulgariter magni, sed for-
 tassis, si vobis eum conferendi, famam suam minores; Inviti quidem hoc
 quod scio, legitis, merita tamen vestra id fateri, exigunt, sanè, si
 eos, qui Patriæ aris atq; focus se suasq; operas inpendunt, tenerius
 præter ceteros amare & venerari consuevimus, quis est, qui ve-
 stra tam chara, tam sancta nobis nomina, non exosculetur? quo-
 rum candor, & in consulendo animosa prudentia Holsatico popu-
 lo ita jamdudum innotuit, ut merito ego vestrò, unus hodie instar
 omnium, totius nostræ gentis unanimi suffragio, Patriæ Patres.
 nostræq; terra delicias Vos appellem. Fecit præterea, singularis
 vestra Benevolentia, Favorq; solitus erga eos, qui literarum cul-
 turam se aliis acceptos reddere conantur; Solent scilicet alii, quos
 ex præclaro stemmate natos, benignior illa Dea ad summum hono-
 ris fastigium evexit, literatam alioquin gentem aliò satù & fa-
 stuoso observare supercilio, solent eos tanquam in utilia terra pon-
 dera, tanquam vilia & abjecta ingenia, ad infames quasvis ab-
 legare operas; Alior vobis & generosior, ex tam generoso san-
 guine


guine natis, sedet animus; iatū ego benignam vestra indolis suā-
vitatem perspectam habeo, quā Musarum cultores ad ve-
strum amorem ac admirationem provocare soletis. Nunquam tri-
sti, negligentī, aut transverso, semper lato, semper hilari vos eos
demittere vultu, sepius vidi.

Hilari itaq; pariterq; serenā, Vos, Musarum Præfides,
Jurisq; Magni Cultores, fronte has theses accipite, quas infor-
mes vulgares & impolitas quamvis, in tesseram tamen devoti
erga Vos animi, cultusq; consecrandi, Vobis, ex officio, quia de-
beo, ex animo, quia volo, quam submissime offero. Tollite. Me-
cænates, expositum hunc & ad pedes vestros depositum parvum,
vel potius abortivum, eumq; qui Vos, tanquam suos Tutelares
Deos omni venerari tempore, votum fecit, contra effrenes, pe-
zulantes, & iniquos defendite iudices. Ad Deum ego Opt. Max.
preces ablego meas, ut consilia, conatusq; vestros plusquam hu-
manos feliciter, Vos quoq; Patriæ Patres Ecclesie, Patria,
totiq; universo orbi quam diutissimè sospitet, Salvete Patroni
Augustissimi & felicissima aura me, nostramq; aspirante fa-
miliam;


Dabam Rostochii
2, Martii, Anno 1651.

V. V.
Gen. Magnif. Excell. Ampliq; ad-
dictissimus & obsequentissi-
mus servus

Paulus Barver, J. V. Doctorandus.



Feliciter,



N mores si quis huius seculi vel leviter saltem inquirere velit, in illa nos incidisse tempora, facile concedet, ut quo quis generosior, si Diis placet, videri velit, eo promptius & petulantius ad jurandum prosiliat, eo cumulatius, quod maximopere dolendum, tremenda divini sibi Numinis fulmina inprecetur. Nequam sane mos, ab ipsis etiam Ethnicis reprobatus. Sic Scythæ, barbara aliquin gens, satis masculè Alexandro respondebant, Jurando gratiam sancire, Scythas ne credideris, colendo fidem jurant, Græcorum ista cautio est, qui acta consignant, & Deos invocant, nos religionem in ipsa fide novimus, Qui non reverentur homines, fallunt Deos. Sic Clinias ille Pythagoricus satis religiosè, qui quamvis per juramentum multam etrum talentorum vitare poterat, injuriam tamen pati, quam jurare maluit. At inde non statim colligendum aut concludendum, quod jurare plane non liceat. Sed attendamus ad mentem Ulpiani in l. 8. de Condit. instit. qui neq. faciles ad juramentum, neq. divini Numinis metu timidus nos esse cupit: illos religionis contemptores, hos meticulosos pronunciat. Parcissime iis utendum volumus, & ut communiter, sed eleganter dicitur, non ut cibo, sed ut Condimentis; Quibus quidem præmissis, statim in initio ipsius vocabuli vim prius declarabimus, mox ipsam rei naturam vobis exhibaturi.

THESIS I.

Juramenti voculam si spectetis, illud ut nativitate sua Latinum, ita à voce *Jurare* derivati, nullus, ut opinor, inficias
 A ibit;

ibit. Jurare autem à *jure* descendere communis est opinio, scilicet, quod id, quod juratur, pro *Jure*, vel lege sit habendum: vel si Domini Jeremia Serferi fidem sequimur, quod divinum Numen pro *Jure* veritatis ponatur. Simplex an compositum sit, litigant Interpretes, Panormitanus Juramentum quasi Juris Astrigimentum dici contendit. Alii voculam hanc ex *jure* & mente conflata asserunt, quasi mentis juratio, cum hæc obligatio in mente oriatur. Alii ex *jure* & vocula *manante* compositam credunt, quasi jus aliquod, quod inde manat. Omnes hos tanquam schismaticos alii condemnant, & à simplici vocula Jurare hujus vocis ortum deducunt. Nos quanquam cuique liberum divinandi arbitrium relinquamus, neq; adeo solliciti hac in re simus, ex eo quod nullam in *jure* firmam neq; affirmative neq; negative ex Etymologia fieri argumentationem persvasum nobis habeamus, posteriorem tamen amplectimur sententiam. Idq; exemplo multarum aliarum vocum, Sic à *Medicando*, *Medicamentum*, à *Libando* *Libamentum*, à *testando* *Testamentum*, à *Leniendo* *Lenimentum*.

2. Non tamen unum idemq; semper Juramentorum mansit nomen. Multis quippe aliis nominibus insignibus sæpius *Jusjurandum* appellatur, ita dictum, quod illud, quod jus vel, justum est, saltem jurare liceat, vel ut alii, quamvis infelicitè, quasi Jovis jurandum, per quem antiquitus juratum fuisse, nemo est, qui sine calumnia negare audeat. Frequentius v. hæc, quam illa, in legibus nostris occurrit appellatio. Juramenti voculam bis saltem in Pandectis reperiri, l. scilicet 34. § 5. D. h. r. l. itidem 25. § 3. D. de Probat, Collector Collegii Argentoratensis observavit. (Justinianus tamen sæpissime eam utitur, ut in l. 1. p. l. 2. § 2. § 8 C. de Jurej. propter Calumn. l. 14. § 1. C. de Judic. l. 4 § 1. 2. 3. 5. C. receptis arbitris l. 11. f. l. 12. p. § 1. 3. 4. 5. C. rebus credit.) Has inter se differre voces putat Vultejus, ita ut Jusjurandi vocula de re controversa, Juramenti vero de re non controversa interponatur, quod quidem discrimen si aliquando fuit, sublatum videtur. *Religio* itidem sæpiuscule vocatur, ut in l. 1. l. 25. D. h. r. l. 4. § 1. de in litem jurando, l. 11. l. ult. C. de Rebus cred. cum scilicet divini cultus sit quædam quasi species vel à religandis mentibus ita dictum, cum metum & terrorem jurantibus incutiat, l. 8. D. Cond. Insti. l. 1. C. de Jur. propter calumn. Propter sanctitatem dicitur quoque Sacramentum, ut in auct. Sacram. C. si adversus Venditionem l. 2. § 3. D. de his qui notans. infam. l. 11. p. de Adult. l. 13. § 3.

74
§. 3. l. ult. D. de re militari, l. 2. D. de Veteranis, cum is qui jurat, se quodammodo factare & devovere videatur, vide Dominum Obrecht in suo de Juramento Calumnix tractatu. Multa habet præterea cognomina; dicitur *novissimum Refugium, maximum Remedium, maximum ordinis politici vinculum, alieni artis Emplastrum*, quæ omnia vide apud DD. Vernaculâ nostralingua id appellamus eim *Eyde/* quasi *Eindr* unitum, cum linguam & cor unitum jurans habere debeat, vel, ut Domino Sersero placet, unitum cum eo, qui vere solus unus est. Fulcitur hæc deductio suo composito *Neidr/* odium, quasi *nicht Eindr/* qui enim se invicem oderunt; vix uniti esse solent. Dicitur itidem eim *Schwur à schweren/* quasi *schwer/* grave, quæ quidem appellatio ipsius rei naturam graviter satis exprimit, cum valde gravis, vel difficilis res sit, Deum, adeoq; universam naturam sibi iratam precari.

3. Ad ipsam jam progredimur definitionem, quam quidem exactam omnibusq; numeris absolutam ponere æque difficile puto, quam regulam aliquam ex legibus colligere, quæ nulla sui parte infirmari possit. Testem produco ipsum Imperatorem l. 202. D. R. 7. Laudat Cujacius N. 90. Clementis Alexandrini definitionem. Borch. eam, quæ est Innocentii non improbat. Vulteio mirum in modum placet illa Ciceronis l. 3. *Offic.* Aliis aliæ arrident, quas magna copia vide in auctore Sersero, nec non Donello. Nobis hæc displicere non potuit, quod sit Enunciatio rei legitimæ, in cujus majorem fidem & confirmationem Deum testem, & si fallamus vindicem invocamus; quæ quidem definitione aliis alias eligendi libertatem non eripimus. Omnes enim vel parum, vel nihil inter se differre deprehendimus.

4. Ex qua quidem definitione facili quis negotio colligere poterit, quænam propria & genuina sit Juramentorum natura, vel forma. Verùm ut planius adhuc mentem nostram explicemus, formam eorundem in verborum conceptione, tum eorundem, ritu sive solemnitate præcipue constare ex mente Boceri asserimus.

5. Verborum conceptionem quod attinet, ea non una eademq; semper esse solet; in illud fere omnes conveniunt, quod Deo teste, Judice & Vindice aliquid afferri debeat, per quem quidem solum jubemur jurare *Deut. 6. & 10.* Sane cum Juramentum species sit Invocationis (sic enim à multis definitur) tribuatq; ei per quem juramus inspectionem cordium (conscientiæ enim arcana plerumq; committimus) Et per conse-

quens omnipotentiam, simul quoq; p̄t̄a executionem, quæ quidem omnia non nisi soli DEo in solidum competunt, merito obtinebit, ut per hunc solum DEum juremus. Quæ quidem formola quamvis præcipua & fere sola esse debeat, aliàs tamen adhuc quamplurimas in jure videre licet formulas. Sic juratur per Genium Principis *l. 13. §. ult. b. t.* per venerationem Principis *l. 41. C. de transact.* per caput suum *l. 3. §. ult. b. t.* vel filiorum suorum *l. 4. b. t.* per salutem suam *l. 33. D. b. t.* Quorum omnium hic videtur sensus: Ita salvus sit Princeps; Ita salvi sint liberi mei; Ita DEus hos omnes salvos præstet. In quibus quidem formulis Justinianum non errasse, nedum contra pietatem egisse apparet, cum hac in re defensores etiam sanctioris vitæ Patriarchas habeat. Sic Jacob legitur jurasse per timorem Patris sui, sic Joseph per salutem Pharaonis, Moses per cœlum & terram, David per animam Jonathæ, Urias per salutem Davidis, quas formulas omnes, quamvis non expressam, tacitam tamen DEi continere mentionem mihi persuadeo; Aliis adhuc & usitatissima apud nos purioris etiam religionis sectatores auditur formula, scilicet ut per DEum sanctumq; ejus Evangelium juretur, *Se war als mich Gott helffe/ vnd sein heiliges Evangelium/* quod quidem Juramenti genus Justiniani temporibus usitatum fuisse testatur *Nov. 8. prin.* In canonicis sæpius reperitur, vide itidem hac de re *Ordinat. Camera part. 1. c. 57. & seq.* Et licet formula illa nihil in se impietatis, nihil superstitionis habeat, dummodo cum mica salis accipiatur, ita sine scrupulo quotidie hunc in modum juramenta concipiuntur. Recte tamen addit Donellus, quod non levis sit contumelia, si quis sine Evangelio juratum satis non putet, quasi quicquam sanctius sit in Evangelio, quam in ejus autore. Per Christi verò capillos, ventrem, caput, *id quod Gallis commune est*, aliave ejus jurare membra, tanquam improbum damnat *Nov. 17.* Idem & Pontifices improbant *c. 10. 22. q. 1.* Per Idola itidem, Mahometem aliosq; impuros Deos homini Christiano sjurare nefas esse, Doctores communiter concludunt: sed quid si juraverit? Obligetur, nec ne: non una omnium DD. est sententia. Obligari illum contendunt nonnulli *ex c. 10. 22. q. 5.* Et qui per lapidem jurat, inquit ibi Augustinus, si falsum jurat, perjurus est, & paulò post: Non te audit lapis loquentem, sed punit DEus fallentem: Addit Dominus Grotius, quod quamvis sub falsis notis, generali tamen complexione per numen Juretur, Ideoq; DEum verum, si pejeratum sit in suam injuriam id factum interpretari. Alij aliud *ex c.*

44

16. 22. q. 7 statouat. Infideles utiq; , quos per fidos, quamvis falsos, iurata DEos consultius est, ita obligari non dubito, id quod opinio iurantis suadere videtur. Sic si Turcæ Juramentum esset deferendum, optimum est Duareni consilium, ut per Mahometem iuret, facile alioquin per Christum pejeraturus, vide *l. 3. s. ult. l. 4. s. b. t.* A qua quidem re sanctum etiam DEi populum non abhoruisse sacra pagina testatur, quos quidem contraxisse legimus iurantes, ut oportebat, ab illis v. iuramentum, quale haberi poterat, accipientes *Gen. 31. vid. c. 16. 22. q. 1.* Quæ etiam ratione, ni fallor, motus Carolus V. singulare plane Juramenti genus Judæis præscribi curauit, cujus tenorē variosq; ritus vide in Ernestw. erter Ordnung eistlicher Punct. belangend den Bericht. Proceß am Käy. ferylichen Cammergericht *de anno 1538. tit. Form vnd Ordnung des Juden Eyds.* Quid verò de communi plerarumq; gentium formula, quæ per fidei sit interpositionem, *Beh wahrem Glauben sit statuendum,* vehemens pugna est inter Doctores. Piaculi & Sacrilegij instar non pro iuramento eam habet Wesenbecius in suis paratit. *b. t.* à cuius sententia, tum propter veterum Christianorum autoritatem, tum ipsius Apostoli Pauli, recedit Dominus Hilliger in Donellum *c. 5. ad l. E.* Communis est opinio iuramento eam æquiparari, & ejus loco haberi, in quam tem vide locupletissimos testes Gaillum *2. Obs. 59. Mynf. 1. Ob. 17. num. 4. & 5.* Dominum Serserum *c. 16. n. 2.* Donellum *d. e.* Placet nobis illa distinctio, quod quidem verum non sit iusjurandum, ideoq; nec contraveniens perjurii pænam incidat, attamen ita promissum æque seruandum, ac si iuramentum interpositum fuisset. Distingunt alij inter fidem politicam & Ecclesiasticam, vel Christianam, hujus fractione perjurium, non autem illius incurri, cum scilicet posteriori modo per ipsius Dei nomen saltem oblique sit iuratum, à qua scilicet dicimur fideles, quod idem quod Christiani. Quomodo ex usu Cameræ Principes bey Fürstl. ehren vnd tren en promittentes, seu asserentes obligentur, vide Gaillum *l. 2. obs. 59. & Mynf. d. ob. 17. cent. 1.* Vide itidem magnum Grotium, elegantissime hac de re differentem.

6. Quo verò major esset iurisjurandi relligio, multas solemnitates, atque ritus addiderunt veteres, per quos quippe terror sæpe & formido iurantibus incutitur. Apud quam plurimos sane invaluit, ut tactis Evangelii iuret, vide hunc iurandi ritum in aurea Bulla Caroli 4. *cap. 2. Item c. ult. de Juramento saluænie c. 20. 3. q. 9. c. 17. 22. q. 5.*

A 3

Quæ

Quæ tamen solemnitas, propterea quod aliquid monstriale videbatur multis in locis in desuetudinem abiit, illa hodie communiter apud nos recepta, ut mares quidem extensâ dextrâ, erectis primis digitis, cæteris in volam depressis; Fœminæ verò appositâ ad sinisterum pectus dextrâ jurent. Extensio manus quid sibi velit, ex variis scripturæ locis tum DEi, tum Angelorum exemplo eleganter deducit Dominus Scæferus. Dextræ religionis in quandam inesse ab omnibus semper creditum fuit; *Endextra fidesq;*! Dextrâ tamen qui caret, sinisterâ uti posse ex Besoldi autoritate tum sua quoq; experientia testatur Bocerus p. 119. Dextræ digitum indicem tolli vult Dominus Scæferus, ut jurans monstreret, vel aperte indicet, quæ sui sermonis testem invocet; Medius erigitur, ut mediâ se velle ingredi via testetur, veritati nihil addere, nihil demere, uterq; simul, ut ejus qui jurat, cum eo, per quem juratur, notetur consensus! Pollicem, Indicem & Medium alij erigendos volunt, idq; in honorem S.S. Trinitatis. Mulieres vero juraturas manum non tollere, sed eam pectori applicare, ut suam, quam viris debent, submissionem publice testentur. Quicquid horum sit, nihil ab Antiquis frustra excogitatum fuisse credimus;

7. Exposita nunc qualitercunq; juramentorum naturâ, proximum est ut de personis, quæ jurare possunt, vel non possunt, videamus. Omnibus autem jurandi facultas conceditur, quæ speciali aliqua nota non prohibentur, *arg. l. 26. Judic. junct. l. 13. §. 1. D. procurat.* Prohibentur autem inprimis, qui rationis & judicij defectum habent, quales sunt furiosi, ut & mente capti *l. 5. D. R. I. l. 40. eod.* Quibus æquiparantur Prodigi *l. 6. D. V. O.* Idem statimus de Ebrijs, qui furiosis comparantur *c. luxur. Dist. 35. c. 16. 22. q. 5.* Sic Veteres jejunos juramenta deposuisse legitur *Gen. 26.* Quibus non sunt absimiles homines irati, quorum neq; Vota neq; juramenta obligare *ex. l. 2. C. ad Fal. Majest. junct. l. 48. D. R. I.* communiter respondetur. Utrum verò idem judicium ferendum de iis, qui amoris æstro percussi, amâ suis suis obrestationem juratam fecerint, non abs re quæritur: Nos affirmamus, cum Amor furoris species dicatur, quem retinere Philosophi est perfecti *Nov. 74. c. 4.* De Surdo & Muto multi dubitant; Nos affirmamus, cum scilicet juramentum ex necessitate verba non desideret; Propter eundem judicij defectum prohibentur pueri parvuli, *c. 14. 15. 16. 22. q. 5. l. 1. §. inpubes. C. fals. monet. l. 12. D. judic.* Idem de Pupillis dicimus *l. 26. D. h. t.* Non autem de Minoribus, quibus quippe jurandi facultatem largimur, ita tamen, ut, si enormiter

miter sint laesi, in integrum restituantur, *arg. l. 5. C. dolomato l. 36. D. N. O.* Mulieribus tum propter iudicii debilitatem, tum propter vitam, quam perpetuo sub tutela quasi gerebant, locum itidem in sacris *Num. 30.* jurandi facultatem adimere nonnulli conantur. Verius tamen est, quod jurandi facultatem habeant, cum virtus non semper sexum eligat, quas itidem saepe natura solertes, Industria literatas, educatio pias, experientia sapientes faciat *vide c. 34. de Jurei. glos. ad l. 57. C. de Transact.* Filium familias itidem à Jurisjurandi relligione nonnulli coercent: quibus nos contradicimus. Sed quid si mutuum contrahat juramento interposito? Distinguiamus, *vide Fachineum. l. 2. Controv. c. 12.*

8. Hactenus de personis, consequens, ut ad Res transeamus, de quibus scilicet jurare liceat, vel non liceat. Ubi quidem eandem, quam antea, ponimus regulam, scilicet quod de omni, de qua non prohibemur, re jurare liceat. Ut breviter dicamus, Res non debet esse levioris alicujus momenti, nec incerta (temeritatis enim foret, de re non bene cognita aliquid dicere sub dispendio salutis) non turpis, non illicita, non legibus prohibita. Vinculum, quippe iniquitatis esse non debet, res debet habere comites, Veritatem, Judicium & Justitiam *c. 16. de Jurejur.* Nec saltem non illicita, sed nec bonum aliquod majus impediens, ut eleganter ingens quondam seculi nostri decus Hugo Grotius. Hinc miles recte sacramentum contemnit, si Dux ejus patriæ bellum sit illaturus, *Vide c. un. S. fin. hic finitur lex. junct. l. 2. D. justitia & jure, nec non l. 35. D. de religiof. & sumpt. funerum.* Sic Advocatus quamvis patrocinium causæ juratus susceperit, eam tamen si postea injustam apprehendit, defendere non tenetur *arg. 16. C. postul.* Perjurium enim potius, quod cum æternæ salutis jactura servatur, quam juramentum dici mœretur. In malis ergo promissis rescinde fidem. In turpi voto muta decretum. Quod incautè vovisti ne facias. *can. 5. Caus. 22. q. 4.* Et tolerabilius est, inquit Ambrosius, promissum non facere, quam facere quod turpe sit *can. 8. d. 21. q. 4.*

9: Jam ut ad Juramentorum species descendamus, ratio postulat, quorum quidem summa esse divisio solet, quod alia sint, quæ de re controversa, alia de non controversa adhibeantur. Ea, quæ de re controversa adhibentur, subdistingui solent, quod alia sint, quæ solius Religionis injiciendæ causâ, alia, quæ litis vel controversiæ decidendæ causâ interponuntur. Prioris generis sunt Juramentum Calumniæ, Testimonii dicendi & Purgationis, quibus Donellus *c. 2. sui tractatus de Jur.* adjicit illud, quod

quod iudicio sistendi causa à Reo in ius vocato exigitur, de qua vide totum Titulum Pendeatarum, *Qui satisfacere coguntur*, & in eum Commentatores.

10. Calumniæ Juramentum, quod, ut Imperator ait §. 2. *Instis. de Satisfac.* inventum, ne tam perulenter ad litigandum procederent, communiter desiniri solet, Religiosa litigantium asseveratio, quod de causa non calumniandi animo, sed juris sui opinione & fiducia freti agere & defendere velint, Communiter quinque hujus Juramenti capita constituuntur, 1. quod non calumniandi animo litem moverint, 2. quod non calumniandi animo ad reluctandum venerint, 3. quod in tota lite nullam exigere velint probationem differendi negotii causa, 4. quod interrogati verum diffiteri nolint 5. quod nihil patrocini causa Judici vel aliis, quam quibus debetur, dederint, aut promiserint. Quinq; hæc ad tria restringit capita Dominus Obrecht. Formulam hujus Juramenti vide in Ordinatione Cameræ p. 1. c. 65. Aliud est quod dicitur generale, quod scilicet in initio litis de tota causa semel præstatur & ad omnes sequentes actus dirigitur l. 2. C. de *Jurej. proptor calumn.* Nov. 49. c. 4. Aliud speciale, quod in singulis Judicii partibus præstatur, li. C. eod. c. 1. in princ. de *Juramento Calumni* in 6.

11. Præstator hoc Juramentum tum suo, tum alieno nomine: suo nomine id præstare tenentur omnes, qui suo nomine agere, vel excipere in iudicio possunt. Immunes sunt ab hac regula Clerici, qui de calumniâ jurare non tenentur, c. 1. de *Juram. Calumn.* adde l. 25. §. 1. *vers. quod filii. C. Episcopis* turpe quippe videbatur hos in falsitatis, vel calumniæ suspicionem vocare, qui ob Religionis & Pietatis professionem ab utroq; longissimè abesse putantur. Patroni itidem & Parentes in causis cum suis liberis, vel libertis inde liberantur, ubi Reverentia, quæ illis debetur, omnem calumniæ suspicionem tollit, l. 8. §. *jubetur D. qui satisfacere cog.* l. 16. D. b. 8. l. 13. §. 14. D. de *damno infecto*. Dissentunt quam plurimi. Vasallus deniq; ejusq; Dominus propter firmissimum fidei vinculum ab hoc Juramento exonerantur, c. 1. §. in *quibus de Consuetudine vecti Feudi*.

12. Alieno nomine præstant, qui alieno nomine Judicium suscipiunt, quales sunt Pater l. 8. §. *fin. C. boni qua liber*. Filii familias, certis scilicet in causis l. 18. §. *fin. D. Judicis* l. 17. §. 11 D. *injuriis* (cui tamen, ut antea Patri, hoc Juramentum ex legis beneficio non remittitur) Tutores

47

tores & Curatores l. 2. §. 2. C. Jurej. propter calumn. Procuratores in suam
c. 3. 4. 6. de Jur. Calumn. & partis animam can. fin. de juram. Calumn. in 6.
De Advocatis res usq; adeo expedita non est. Nos eos non jurare jura-
mentum calumniæ putamus cum Obrecht, de Juram. Calumn. c. 6. n. 38.
Quia illorum juramentum, quod præstare tenentur l. 14. §. 1. C. de jud. ca-
lumniæ non est in specie sic dictum, sed alia habet capita, uti docet d. l. 14.
C. de judic. Et præter illud, Juramentum calumniæ ab iis exigi, nullibi
legimus. Quod enim de Jurejurando Advocatorum dicit Justinianus in
l. 2. in fin. pr. & §. 2. in fin. C. de Jur. propter calumn. ex prava forsan in-
terpretatione ad Juramentum calumniæ trahitur, cum ipse Justinianus
se referat ibidem in fin. princip. ad Juramentum antea Advocatis in-
positum, verbis illis: secundum quod jam dispositum est, Obrecht. d. loco,
n. 43. Hodie in Judicio Cameræ, & fere passim in Germania, Advocati
singulare habent Juramentum, quod non in singulis causis, sed cum desi-
gnantur in universum semel præstant Or. Cam. par. 1. tit. 60. Apud Gal-
los quotannis, cum Parliamentum referatur, illud præstant. Fiscus procu-
rator utrumne jurare teneatur, dubitatur. Affirmativam à communi
schola defendi docet Gailim. 1. obs. 90. n. 2. 3. Aliud tamen in Camera
observatur, ut idem testatur d. obs. n. 4. Mynsing. 1. obs. 74. nec non con-
suetudine n. 6. Talis quippe publicò votò electus, Cæsaris nomine agens,
extra omnem meritò suspicionem esse debebat, cum calumniare non
presumatur, quem officii excusat necessitas, l. 5. §. 13. de his que ut indigni
cap. quod quis. 24. de R. J. in 6. l. 167. §. 1. D. eod.

12. Tanta autem hujus juramenti est necessitas, ut pars parti illud, se-
mel exactum, remittere non possit, proindeq; exactum & non præstitum
vitiet processum l. 2. §. 4. de Jur. propter calumn. Secus si non exactum
& sic tacite remissum sit, Gail. 1. obs. 84. n. 1. 2. & Obs. seq. 85. n. 2. Setferus
de Jur. lib. 3. c. 1. n. 10. & 15. In omnibus itidem omnino litibus sit præ-
standum, ea sive magna sit, vel exigua: principalis, vel accessoria: primæ
vel secundæ Instantiæ, aut Appellationis c. 2. de Jur. calumn. in 6to. Ex-
cipimus causas criminales. Quotusquisq; enim est, eleganter Dominus
Setferus, qui se religione teneri putet, ubi de capite agitur, Ab Accusa-
tore tamen esse præstandum, DD. statuunt, cum Inscriptionis vinculum
hodiè cesset. Effectus hujus Juramenti plane est egregius: Actor liqui-
dem calumniam jurare recuset, actione cadit, Reus pro confesso habe-
tur, l. 37. D. h. l. 2. §. 6. 7. C. Jur. propter calumn. ad quod tamen Ju-
dicis sententiã declaratoriã opus est, l. 2. §. 6. eod. De Juramento Mali-

B

ciz,

tiæ, nec non Dandorum & Respondendorum, quænam DD. sit sententiæ,
exponere temporis & instituti ratio non permittit.

13. Alterum erat Testimonii dicendi gratiâ, quod scilicet à testibus
exigitur de veritate dicenda, priusquam ad testificandum admittantur.
Hujus autem tantus est favor, ut ab omnibus testibus peti debeat, &
cum injuratus testis nihil probet, *l. 9. l. 19. C. testibus*, vide hanc in rem
Gloss. c. 20. 3. q. 9. quod quidem adeò verum est, ut etiam ipsi Pontifici
maximo, si quidem testis esse debeat, injurato non credatur, *c. 39. & cap.*
super 51. in fin. Ext. de testibus, Menochius *1. arbitr. judic. q. 26. n. 4.* pa-
rumq; refert, quod testes jurarint, se secreta revelare nolle, hos enim
Princeps cogere potest, vide Menoch. *de arbitr. judic. qq. lib. 2. cent. 4.*
cas. 355. n. 4. Mynsing. cent. 2. obs. 78. A partibus tamen hoc remittitur,
cum in harum favorem simul sit introductum, *l. 29. C. de pactis.* Quo-
modo vero Commissarii, per quos plerumq; hic actus expeditur, sele-
gerere debeant, satis pulchrè annotavit Dominus Setserus *3. cap. 10.*

14. Tertium erat Purgationi, quo Reus ab Actore diffamatus cri-
mine, sed non convictus, iudice postulante, sui purgandi causa jurat, rem-
ita se habere *Nov. 72. c. 3. N. 124. c. 3.* Dicitur Purgatio Canonica totò
titulò *Ext. de Purg. Can.* quia Reus se suamq; conscientiam purgat.

15. Varii olim fuerunt purgandi modi. Communes erant, quæ fie-
bant periculò aquæ frigidæ, vel ferventis, ferri itidem candentis, quæ
quidem purgatio vulgaris & improbata in Canonibus sæpius vocatur,
ex eo, quod divinum numen ita tentari videtur, *108. tit. Extr. de purgat.*
vulg. can. 7. c. 2. q. 1. His annumeratur *cap. 2. d. 1.* alius purgandi modus
per duellum, de quo *cap. 1. pr. v. si quis, de Pacet enenda*, cui adde *c. 1. Non*
est, de alienatione paterni Feudi. Alius apud nos invaluit, qui fit per aquæ
immersionem: alius itidem, qui fit per sanguinis Emissionem *Bum schetti*
gehen / quæ quidem, ut valde periculosa & plane temeraria & reprobata
iudicia à DD. judicantur, ita in omni Republica in exilium optamus.
Hunc, qui fit per Juramentum, amplectimur purgandi modum, quam-
quidem purgationem, ut ordinariè in Criminalibus, ita nonnunquam
in civilibus locum habere, satis constat ex *l. 6. §. 4. C. 88. Eccles.* cui ad-
de ea, quæ Dominus Bocerus *Clas. 7. disp. 18. n. 28. 29. 30. 31. 32.* habet.
In matrimonialibus quando obtineat, satis doctè observavit Dominus à
Beuff. Quisam hujus sit usus in causis fractæ Pacis, vide in *Ord. Cam.*
p. 2. c. 10. Neq; saltè unus sese purgat, sæpius etiam plures se purgare
tenentur, velut si sit ordo vel Collegium aliquod de crimine aliquo su-
spectum

spektum, de qua re vide eandem sanctionem Camera. Idem obtinet de Jure Canonico & Feudali, sic aliquando quinque, aliquando plures pro atrocitate criminis se purgare tenentur, *c. 12. cap. 18. 2. q. 5.* quatuordecim *e. 10. §. attendi. de Purgat. Canon.* Septuaginta duo *c. 17. q. 4.* duodecim *c. sacrum. §. & cum datur. de Consuetudine recti Feudi.* Et hi omnes communiter dicuntur Compurgatores. Cum hoc Juramento Purgationis magnam cognationem habet purgatio, quæ fit per communionem corporis Christi, *c. 20. c. nls. 2. q. 5.* Effectus huius Purgationis esse solet, ut suspensus, si se purgare nolit, pro convicto habeatur, *c. 8. de cohabitatione Clericorum & mulierum. Ord. Cam. par. 2. tit. 10. §. wûrde sich.*

16. Litis decidendæ causâ Juramentum, vel propter solam litis decisionem, vel debitoris simul coercendi gratiâ adhibetur. Illius generis tres communiter solent poni species, Voluntarium, Judiciale & Necessarium. Voluntarium est illud, quod pars parti extra iudicium defertur, *l. 17. p. l. 28. §. fin. de jurejur.* ita dictum, quod is, cui defertur, ex nullâ necessitate, vel præstandi, vel referendi illud adversario præstet. Fundamentum ejus positum est in partium quasi conventionem, hinc est, quod vim transactionis habeat, majoremq; autoritatem quam res judicata, *l. 26. §. fin. h. t.* Delatum, si prodesse debet, vel statim, vel intra certum tempus suscipi debet, id quod si elapsum fuerit, etsi postea jurare paratus, nihil id ei proficiet, *l. 5. §. ult. D. h. t.* Utrum vero consultius sit Reo, ut statim accipiat conditionem, ne postea pænitere incipiat Actor; similiter, utrumne è re sit Actoris, ut in continenti petat, ne dum spatium deliberandi datur, perjurii latebras Reus quærat, vel utilitate victus Juramenti religionem contempnat, vide Donellum *c. 14. de Jurejurando.* Quamvis verò nemo illud suscipere absolute cogatur, semel tamen susceptum omnino præstare debet, nec referte deferenti potest, *l. 17. p. b. t.* sicut enim libera unicuique est potestas contrahendi, vel non contrahendi, ita renunciare contractui adversariò nõ consentiente *l. 5. C. Obl. & Act. prohibetur.*

17. Præstitum hoc Juramentum servat Prator, ita quidem ut Reo, si juraverit, det Exceptionem *l. 9. §. 1. b. t.* vel actionem contra ipsum. Actori denegat *l. 7. h. t.* Neq; soli Reo, sed & ejus hæredibus *l. 7. eod. junct. l. 70. de v. s.* nec non successoribus in Rem *l. 8. eod.* Fidejussoribus itidem, si Principalis juraverit se non debere *l. 25. §. 1. eod.* Ipsi etiam Principali, si Fidejussor non de sua persona, sed de re, nihil deberi Principali, juraverit, *l. eod.* Actori verò, si juraverit, dat Prator Actionem *l. 9. §. 1. l. 28. §. ult. h. t. §. 11. Instit. Actionibus,* quæ appellari solet Actio ex



jurejurando in Factum, cum saltem queratur de facto, an sit juratum. S. eod. Hæc autem ita est instituenda, ut veteris actionis forma, mentione jurisjurandi factâ, observetur l. 13. §. 3. 4. s. b. t. Non tamen queritur de probatione veteri, ejusq; causa, sed tantum an juratum sit l. 5. §. 1. eod. Hinc est, quod, perjurio licet detecto, non retractetur, l. 31. eod. l. 1. C. rebus creditis, nisi ita convenerit l. 1. eod. vel posteriori juramento infirmetur, l. 28. §. ult. D. h. t. l. 12. C. pactis, Causa deniq; favorabilis Legatorum, vel Fidei Commissorum illud svadeat, §. ult. C. rebus creditis.

18. Judiciale est, quod pars parti in Judicio, Judice approbante, vel ex ejusdem auctoritate cuicunq; parti, non reluctanti, infertur, l. 12. §. 7. C. rebus creditis. Idem cum priori habet fundamentum, consensum scilicet partium, hinc maximum & expeditissimum dicitur remedium, quia lis statim, si volumus, deciditur, sapius tamen periculosum, cum adversarium nostrum testem & Judicem in propria causa constituamus. Deferre E. potest illud Actor, etiam si nihil adhuc præstiterit, aut probaverit, ut in ipso statim initio litis, l. 12. C. rebus creditis. Reus tamen illud suscipere præcisè non tenetur, cum illud parti deferenti, si velit, referre possit, sic enim omnino limitandus erit §. 6. legi 34. h. t. Hinc illud Pauli Jcti axioma l. 38. D. eod. *Manifesta turpitudinis & Confessionis est nolle nec jurare, nec juramentum referre.* Fallit tamen hæc regula, si justa aliqua sit causa, quæ impediatur, veluti si turpis deferat, si pejerare solitus, cui quidem tutò referri non posset, vel si quis plenè probare velit l. 11. C. Rebus creditis. vel deferens de calumnia jurare recuset, l. 34 §. 4. 7. h. t. Vel causa sit talis, quæ plenissimam desiderat probationem, veluti Criminalis, cui ex communi DD. calculo æquiparatur matrimonialis, Gail. 2. Ob. 94. n. 1. ubi quidem Canonistæ distinguunt, eiq; locum relinquunt, si quis pro Matrimonio jurare paratus, locum verò non deberi contendunt, si quis contra Matrimonium jurare velit. Rationem differentiæ hanc ponunt, quod priori casu militet favor matrimonii, tacitus itidem partium consensus; posteriori verò non itidem, imò, quod non sit in potestate partium matrimonia dissolvere, quod quidem dicitur vinculum indissolubile, & quod homo eos, quos Deus conjunxit, separare non possit, quod compensationis & dispensationis remedium non admittat c. fin. de Transact. adversus quod nullum compromissum in arbitros valeat c. pen. de in Integrum restitut. Jun. Beust. part. 1. de sponsal. 45. Gail. 2. obf. 94. n. 13. & 14. Borcb. de Jurejur. c. 5. num. 23. Effectum hujus Juramenti quod attinet, eundem habet, quem voluntarium, adeo quidem, ut sententia

tentia Judicis, in id saltem ut actio detur, jure civili non requiratur, licet aliud moribus observari testetur Dominus Wesenbecius, *b. t. n. 9. in fine*.
 19. Necessarium dicimus, quod à Judice deferretur, ita dictum, quod necessariò, sive velit, sive nolit, sit præstandum: voci enim Judicis est parendum. Defert autem illud solus Judex, non tamen ex suo arbitrio & beneplacito: litis enim Dominus non est, sed 1. ex inopia probationum. *l. 3. C. rebus creditis*, supervacuum enim esset si Actori, Iniquum si REO deferretur. *l. 4. C. de Edendo. 2. in causa dubia l. 31. h. t. 3. causâ cognitâ l. 3. C. b. 2.* Quænam verò sit causa dubia, magnum est inter DD. litigium, perplexam & vexatam quæstionem eam appellat Donellus *c. 19.* Idem ille id, quod communiter de Unico teste omni exceptione majore allegatur, reiicit, eamq; putat esse dubiam causam, ubi uterque probavit, ita ut par sit utriusque partis probatio, quo quidem in casu, si lites exitum reperire debeat, consultum ille putat, ubi ab alterutro exigatur jusjurandum, quam tamen opinionem non esse ferendam rectè putat Dominus Bocerus, *Disp. 18 n. 74.* cum in pari causa & conditione REus sit absolvendus, ejusq; causa semper favorabilior quam Actoris *l. 125. R. l. l. 4. C. de edendo* ita tamen, ut tota hæc res recto & circum spectro Judicis arbitrio committatur. Deferre itaq; potest illud Judex tam Actori quam REO, scilicet qui probior, dignior & ditior videtur. *c. ult. de Jurei.* Et quidè post causæ conclusionem, cum lites & probationes examinaverit, *l. 3. C. rebus cred. d. c. junct. c. 11. 30. q. 5.* Locum habet in Civilibus, non in Criminalibus, aut iis, qui maximi sunt momenti, veluti Matrimoniales, quæ quidem criminalibus comparantur *Zafius cons. 3. n. 27. l. 2. talia. Beust. part. 1. de Sponsal. §§ 41.* Sunt enim instar servitutis *glass. in C. Mulieri. de Jurejurando & Zaf. d. Con. num 26. Beust. d. loc.* cum ibi agatur de quasi stata hominis. Individua illa siquidem vitæ societas, sive feliciter, sive infeliciter sit jacta alea, speciem æternæ servitutis præ se ferre videtur. Hinc vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, & contrà *c. 8. de Consang. & Affinit.* Fallit tamen hoc, ut eleganter observavit Dominus à *Beust. d. loc. vers. Primò, nisi.* Et *Maus. de nup § sed nunc occasione* si præter semiplenam aliquam probationem insignis sit aliqua & gravis præsumptio, Veluti si Actor Nobilis, Juvenis, Dives, honestioris notæ, Puella plebeia, Inops, Deformis, vel si præter testem integræ opinionis, adhuc sit fama publica, vel alius non integræ opinionis testis. Diversam tamen habet hoc à cæteris naturam, cum nec referri, nec remitti possit, sed necessariò præstari debeat, nisi causa quis cadere velit *l. 12, §. 2. C. R. Cred.*

repertis inidem postea novis Instrumentis retractetur l. 31. D. b. f. cum
præstitum sit saltem ex necessitate. Præstito verò hoc juramento, Judex
ei, qui juravit, rem adjudicare debet l. ead. poteritq; post eam sententiam
judex superior appellari l. 12. §. 1. & 2. C. rebus Creditis. Id quod in Ju-
diciali & Voluntario nemini conceditur. d. l. 12. C. rebus Creditis.

20. Illud quod debitoris coercendi gratiã interponitur, dicitur Jus-
jurandum in litem. Estq; tale, quò res in judicium deducta & ab adver-
sario non præstita, deferente Judice, ab Actore æstimatur. Dicimus de-
ferente Judice, Is siquidem nisi detulerit, nulla erit religio, nec ullum
jusjurandum l. 4. §. 1. de in litem jurando. Volens autem non invitus illud
defert, nisi alioquin impossibile foret ad rei æstimationem pervenire;
Dux hujus juramenti communiter recensentur species: Una Affectionis,
altera Veritatis Juramentũ nuncupatur, Alii tres fingunt, dictisq; addunt
tertiam speciem, quæ est *singularis interesse*. Alij unam tantum concedunt
scilicet Affectionis. Alii nullam, nisi Veritatis esse contendunt.

21. Juramentum affectionis dicimus illud, ubi Actor in æstimatio-
nem litis pro suo arbitrio & affectione jurat. Exceditur in hoc verum,
alioquin Rei pretium, & affectioni, quæ aliàs in æstimationem non venit
l. 33. Dad. L. Aquil. aliquid tribuitur l. 1. l. 4. §. 1. D. de in litem jurando.
l. 28. de Rei Vind. l. 18. prin. de dol. Idq; ob dolum & contumaciam adver-
sarii, non restituentis, vel præstantis rem petitam l. 1. 2. 6. l. 8. D. eod.
Defertur autem Actori, qui litis Dominus est, eamq; suò nomine est
contestatus l. 7. D. eod. Non itaq; Procuratori, qui quamvis per litis Con-
testationem litis Dominus sit factus l. 22. l. 23. C. procur. suò tamen no-
mine litem non est contestatus, adde, quod affectio rei ipsi æquè cognita,
ac ipsi Actori, esse nequeat. Idem de Tutoribus & Curatoribus judicium
esto. Ut autem Judex non invitus id ipsum, ut supra dictum, Actori de-
fert, ita nec Actor invitus, sed volens illud præstat, vide hac de re expres-
sum textum in l. 71. D. rei vindic. nisi tamen hic eadem, quæ supra de Ju-
dice *thes. præced.* ratio aliud suadeat. Locum habet in Actionibus bonæ fi-
dei l. 5. de in litem jurando, l. 1. §. 26. D. depositi. in quibus ad rei resti-
tutionem, vel exhibitionem agitur l. 2. l. 5. D. de in litem Jurand. sive sint in
rem l. 5. eod. sive in personam l. 18. p. D. de dolo malo. Etiam in actione ar-
bitraria l. ead. l. 8. §. ult. D. rerum amot. Jurare autem potest suam affec-
tionem usque in infinitum, si Judex nullam quantitatem definivit, secus,
si à Judice intra certam quantitatem jurare jussus, quam excedere non
potest, l. 4. §. 2. D. de in litem jur. l. 68. D. rei vindic. d. l. 18. pr. ff. de dol. mal.


74
22. Veritatis iuramentum est, quò quanti re verà interest, sic æstimatio
l. 2. §. 1. D. de in litem jur. idq; regulariter propter culpam debitoris, l. ead.
ut si res non existeret, ejusq; æstimatio probari non possit. Locum habet
in omnibus omnino actionibus etiam stricti juris l. 5. §. 4. l. 27. Utrum
verò in utraq; hac specie de perjurio postea, forsan detecto, queri possit,
de eo dubitatur adhuc inter DD. Sequimur nos mentem Wesenbecii,
num. 8. Serfer. eod. lib. 5. cap. ult. num. 7. qui hanc querelam non nisi ex
magna causa & repertis postea instrumentis, concedunt, ex quo
quidem capite DD. illud etiam, quo litis expensæ probantur, juramen-
tum deducunt. Sed quid, si perjurium tam in his, quam alijs juramento-
rum speciebus appareat? quæritur an perjurum ita inponè juramenti re-
ligionem per leges nostras contemnere possit, ex eo forsan quod nulla
in ll. nostris iis sit posita pænâ? In varias hic abeunt DD. opiniones, cau-
sam hujus diversitatis, ni fallor, dedit l. 2. C. rebus Credit. l. 23. l. 28. D. h. t.
Negant alij, alij affirmant. Priorum sententiæ nos nomen sub-
scribimus nostrum, siquidem non unam, sed varias in ll. nostris perjuris
scriptam esse pænâ, animadvertimus; Sic ex Ulpiani sententia l. 13. §.
6. D. h. t. fustibus castigantur, hoc addito Elogio, *Petulanter ne jurato.*
Ita quoq; ex Imperatorum Arcadii & Honorii constitutione l. scilicet 41,
C. de transactionib. non solum infames fiunt, verùm etiam omni actio-
ne privati, restitutâ itidem pænâ, quæ pactis forsan inserta erat, rerum
proprietas, omneq; commodum amittunt. Justinianus itidem pænâ
perjuris dictâ se videtur Novellâ 117, ubi Tribunum militis, vel Chartula-
rium propter commissum perjurium exautorari jubet. Refert Dominus
Serferus r. 27. l. 1. ex Harmenopulo aliud adhuc pænâ genus, autoritate
quidem Leonis & Constanti constitutum, ut scilicet ei, qui ex delata iu-
risiurandi conditione peierarit, lingua præcidatur. Hodie res scrupulò
caret, cum ex constitutione Criminali Caroli V. art. 107. 108. amputa-
tione duorum digitorum puniantur. Et tantum de rerum Controversa-
rum iuramentis.

23. Jam de Juramentis, quæ de re non controversa interponuntur,
tractare operæ pretium foret, nostriq; instituti ratio postulari, quæ
tamen ut à variis in varia dividuntur & subdividuntur genera, ita ea vo-
bis ante oculos ponere, exiguus pagellarum numerus, Amplissimæ Fa-
cultatis Juridicæ Decteto mihi præfinitus, jam verò completus dissuadet.
DD. & præter eos, Compilatores Collegii Argentaritenfis hic consu-
lendos puto, Unicum illud Fidelitatis iuramentum, quod Vasallus Do-
mino

mino suo præstat, exterioribus saltem gustare labris placet: id quod Religiosa affirmatio, facta à Vasallo Domino de præstanda fide, communiter definitur *c. 1. in fin. Quid præcedere debeat*, Tanta autem hujus juramenti non est necessitas, ut omitti non possit, *vid. c. 1. §. 1. ibi: Si tamen &c. Quæ fuit prima causa benef. c. 1. de Fidelit. capus univ. Ecclesiam fidelitatem non facere*, quamvis quidem sine Fidelitate simpliciter ne concipi quidè possit *arg. c. un. per quos fiat investitura c. 1. in fin. In quibus causis feudum amittatur*, adeo quidem, ut ipse Princeps, cui alioquin omne hominum genus fidelitatem debet, eandem nisi præstiterit, feudò exuatur *e. univ. Imperatorem feudum &c. Præstat hoc Juramentum ipse Vasallus, vel ejus nomine Procurator c. univ. vers. personam. Per quos fiat investit.* ita tamen, ut speciale mandatum exhibeat, *Menoch. vol. 1. cons. 1. n. 28. Vol. 5. cons. 426. n. 38.* Omnes autem, si plures sint unius Vasalli hæredes, id præstare tenentur, si ve divisis inter se partibus, si ve pro indiviso feudum possideant *c. 1. §. omnes filij. Si de Feudo defuncti.* Vivente tamen adhuc Patre Vasallò filius ejus jurare non tenetur *c. 1. princ. de Capitulis Corrad. c. 1. Quo tempore miles.* Præstatur illud Domino Feudi, eòq; mortuò ejus hæredi, si tamen plures unius Domini sint hæredes, singulis præstari debere negamus *c. 1. §. 1. vers. præterea. de prohibita Feudi alien. 2. F. 55.*

24. Addimus illud Colophonidis locò, quod omne juramentum debeat servari, quod absq; dispendio æternæ salutis servari potest *C. 3. de Jur. Jur.* Accidit tamen aliquando, ut servari omnino non debeat, cù æquitatis nimirum & justitiæ ratio subest. Veluti si subditi nonnunquam innocentes carceribus mancipentur, nec inde, nisi sub obligatione jurata & elogio de non vindicando, liberari possint; quos, ut injuriam apud superiorem vindicent Magistratum, juramenti gratiam, vel relaxationem petere, sæpius videmus. Verùm Ecclesiastico, an Politico Magistratui hæc relaxandi competat potestas, non levis inter DD. est pugna: Discedimus nos à Canonistarum opinione, magistratui Politico illud competere non dubitantes, quæ quidem sententia ut moribus nostris observatur, ita cum veteribus nostri Juris Constitutionibus apprimè convenit, *l. 1. fin. prin. D. ad municip. l. 6. §. fin. de jure patron. l. fin. Qui satud. cog. l. 1. C. Qui milit. pos.* Scripsit hac de re Doctissimus Bocerus, effusissimè Donellus, cui adde *Ord. Cam. par. 2. tit. 24. N. A. zu Auzpurg de an. 1555. §. nec non vnd sollen die sentigen. & §. vnd sollen in diesen beyden ea, quæ tradit. Gail. 1. obs. 22. & Obs. 25. Myns. 3. obs. 99.* Et sic concludimus, ut incipimus cum Deo Feliciter.





the scale towards document

quando quis obscuro loco natus, fraudu-
 tatione, nobili alicui familiae se infere-
 re, sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-
 dem familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud
 dicit, vel alio modo eosdem fallat.
 Anno 1615. vagabundus quidam homo con-
 suetudinem Phocam, Palatinum Constanti-
 nopolitensem, & ex familia illustri Graecorum
 jactans, ad jumentum intercessionum, quas
 impetraverat, in plurimorum prin-
 cipalium, & civitatibus ingentem pecuniam
 & emendicavit; cui postea, ob delicti
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-
 ses, anno 1629. Mens. Martio foeminae cui-
 dam, ex nobili familia se natam & bonis
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-
 am poenam temporalis relegationis in-
 ferunt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*
sequenti num. 41. adducit exem-
plum assumpto nomine Advocati cujus-
dam publicè jactaverat, quem postea
Senatus virgis coedi, & exilio
condemnavit & huc exempla relata à Valer.

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-
 nentem suam mutat, & se pro alio suppo-
 nit, ut apud Historicos aliosque scripto-
 rum inter quae notissimum est illud Plau-
 ti in forma Amphitruonis, adversus
 nocte quadam, velut è bello rever-
 sus concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4

